

LVNÆ DIE 21 M. IVNII A. 2004

A.d. XI Kal. Iulias a. MMIV

I 2 0

M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AUSPICIIS DOMUS ERASMIANAE CURAQUE FUNDATIONIS MELISSAE

SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS  
Gaius Licoppe

COMPOSITRIX  
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.  
Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / <http://users.skynet.be/Melissalatina>  
Bureau de dépôt : 1040 Bruxelles 4 / Afgifte kantoor 1040 Brussel 4



## DE PRÆHISTORIÆ CVNABVLIS

- scripsit Gaius Licoppe -

Sunt in orbe terrarum loca prædestinata, ubi quondam mirum in modum floruit cultus humanus. Ægyptus, exempli gratia, tertio millennio a.Chr.n., i.e. ineunte ætate historica, ingenio et artibus præcellebat. In regione Francogalliæ meridionalis, ubi proximo mense Iulio habebitur symposium nostrum, sunt valles Duranii (v. *Dordogne*) eiusque influentis rivi *Vézère*, quæ temporibus præhistoricis eminerunt artibus, præcipue pictura.

Tanta facta est huius regionis fama, ut regimen Francogallicum statuerit ibi, in vico *Les Eyzies de Tayac*, museum nationale ætatis præhistoricæ collocare; magnæ ædes iam exstructæ sunt; optima monumenta illius ætatis illuc nunc afferuntur atque scite disponuntur. Museum lustratoribus primum patebit ætate proxima.

Multum hodie laudantur artes præhistoricæ, sed eadem, solum undevicesimo sæculo inventæ, lentissime magna que cum diffidentia sunt agnitæ. Hæc historia digna mihi videtur quæ in memoriam breviter revocetur.

Usque undevicesimum sæculum iniens, homines in orbe christiano antiquissima tempora sibi talia fingebant qualia narrabantur in Vetere Testamento. Septimo decimo sæculo quidam archiepiscopus anglicanus in Hibernia etiam computaverat Deum Adamum creavisse anno 4004 a.Chr.n.


Fortuito hic illic iam inventa erant ossa singularia, quæ videbantur non pertinere ad animalia nota. Cum hoc esset molestum, ossa incongruentia dicebantur Dei libita.

Iam e compluribus sæculis non raro effodiebantur silices singulariter fracti; nemo tamen arbitrabatur eos esse artificiose cæsi; ob ignorantiam « lapides ex fulgure » (Fr. *céramies*) vocabantur.

A duodevicesimo sæculo et fortasse iam antea, extraordinaria ossa humana sunt effossa. In Belgica, exempli gratia, anno 1929 medicus nomine P.C. Schmerling duas calvarias invenit inter ossa rhinocerotum et elephantum primigeniorum (v. *mammouth*); inde collegit hominem iam antiquissimis temporibus vixisse una cum extinctis bestiarum generibus atque suum inventum palam divulgavit. Nemo tamen ei tunc credere voluit.

Medio undevicesimo sæculo nemo doctus putabat hominem iam longum tempus in terra fuisse; nemo etiam putabat aliquem hominem ab hodierno differentem antiquitus exstitisse; vigeat enim ab Aristotele theoria « scalæ viventium », quorum gradus dignitatis, creatione constituti, immutabiles esse dicebantur.

Hæc erat opinio communis, cum anno 1856 in Germania, non longe a Dusseldorpio, in valle *Neandertal* vocata, lapidicæ in quodam antro fortuito



*Homo vixit tempore quo mammuti per agros Europæos ambulabant, ut patet ex multis accuratissimis delineamentis. Hic in spelunca Bernifal mammutus ostenditur duobus telis vulneratus.*

effoderunt ossa complurium hominum, quæ incuriosi magnam partem deleverunt. Lapidinarum possessor tandem monitus reliqua ossa collegit tradiditque vicino professori scientiarum naturalium, J.K. Fuhlrott. Qui, insolitum ossium aspectum miratus, putavit ea pertinuisse ad quandam vetustissimum hominem, quem diluvii fluctus in antrum coegissent. Hæsitans tamen adiit anatomie professorem Universitatis Bonnensis, Hermanum Schaaffhausen, cui ossa ostendit. Is agnovit ea esse singularia sed putavit ea solum ad quandam barbarum Germaniam incolentem ante Celtas et Germanos pertinuisse.

Anglus geologus Carolus Lyell, qui habetur ut geologiæ modernæ conditor, anno 1830 demonstraverat Terram iam a compluribus milionibus annorum exstare; nondum tamen demonstratum erat hominis ortum etiam antiquiorem esse quam putabatur.

Iacobus Boucher de Crèvecoeur de Perthes, qui in Napoleonis exercitu militaverat et postea munere telonii procuratoris Abbatis Villæ (v. *Abbeville*) ad Somenam (v. *Somme*) functus est, vir erat omnium rerum curiosus. Anno 1830, cum glaream, quam nautæ ex Somenæ alveo eradebant, inspiceret, præter multos cæsos silices invenit securim, cuius silex politus acutusque adhuc hærebat manubrio ex cervi cornu facto. Iam non dubitare potuit hos silices ab hominibus cæsos et politos esse; insuper illi homines certe antiquissimi erant, nam eorum silicea instrumenta iacebant una cum ossibus extinctorum bestiarum generum. Inventa sua octo voluminibus publicavit, at solum risum doctorum Academiæ Scientiarum Parisinæ movit...

Anno tamen 1858 duo Angli, Iosephus Prestwich et Iacobus Evans, de Iacobi Boucher inventis certiores facti, eum visitaverunt, silices inspexerunt eosque similes invenerunt lapidibus quos sacerdos catholicus,


Iacobus MacEnery, in Magna Britannia circa annum 1820 e quadam Devoniae spelunca effoderat. Cum Iacobo Boucher consenserunt eumque palam laudaverunt in Regali Academia Londiniensi, quod dilucide demonstraverat hominis antiquitatem multo maiorem esse quam putabatur.

Hic erat scientiae status, cum anno 1859 Carolus Darwin librum in lucem edidit c.t. « De origine generum et specierum per selectionem naturalem ». Effectus fuit quasi displasio bombæ ; demonstrabat enim genera plantarum et animalium non esse immutabilia : hic erat finis inveteratae theoriae « scalae viventium » ! Nemo tamen etiam tunc admittere voluit ossa in valle Neanderthal inventa pertinuisse ad quendam hominis atavum. Hanc communem sententiam confirmavit clarus anthropologus Germanus, Rudolphus Virchow, autumans hæc ossa esse cuiusdam hominis, qui adulescens rachitidem passus esset atque senex osteoarthrosin. Multi, qui putabant Carolum Darwin insinuare velle hominem a simio descendere, eum vehementissime increpuerunt, inter quos episcopus anglicanus Samuel Wilberforce. Thomas H. Huxley, geologus amicusque Darwini, episcopo hoc durum responsum fecit : « Me non puderet simium habere atavum, sed me puderet consanguineum esse alicuius sua intelligentia abutentis ad veritatem dissimulandam. »

Solus fere inter omnes, Vilelmus King, anatomiae professor in Hibernia, decrevit ossa vallis Neanderthal exemplum esse cuiusdam antiqui hominis generis, cui nomen dedit « Hominis Neanderthalensis ». Per nonnullos annos nemo fere doctus iam cogitavit de hominis præhistoricis atavis ; perpauci tamen vestigia antiquissimorum hominum perquirere perrexerunt, quorum præcipui sunt Eduardus Lartet, Francogallus iuris peritus, et Henricus Christy, Londiniensis argentarius. Ambo una ab anno 1863 multa antra exploraverunt in calcariis rupibus vallis rivi *Vézère* prope vicum *Les Eyzies de Tayac* ; ibi inter alia 51 res artificiosas invenerunt, inter quas eburnea tabella cum mammutho delicate inciso maxime admirabilis erat.

Exhibitio Universalis anno 1867 Parisiis instituta, patrono Napoleone III, archæologiae multum profuit. Nam data erat tum progressibus technicis cum rebus culturalibus. Lustratoribus licuit exemplum Ægyptiaci templi Philarum admirari, magis vero allecti sunt illis rebus artificiosis in valle *Vézère* recenter inventis. Quid ergo ? Creaturae, quæ res tam delicatas effingere valuerant, non poterant esse barbaræ !

Paulo post, i.e. anno 1868, in Francogallia meridionali prope vicum *Les Eyzies de Tayac* in loco *Cro-Magnon* dicto, operarii qui ferriviam munientes quod-



*Hic Darwini significans gryllus anno 1871 editus est in Magna Britannia.*

dam antrum delebant, fortuito effoderunt instrumenta silicea, conchylia bestiarumque dentes perforatos, animalium ossa fracta atque reliquias quinque hominum. Ossa unius eorum erant fere integra pertinebantque ad virum altæ staturæ, qui similis erat hominis moderni ; cum idem iaceret inter intrumenta lapidea et ossa animalium generum extinctorum, non dubitandum erat de eius alta antiquitate.

Cum hoc inventum notum fuit, multi spectabiles homines illius temporis se melius habuerunt ; non debebant erubescere de sua stirpe ; atavus enim iam sibi similis erat ! Gaudium tamen non fuit diuturnum ; iterum enim ossa duarum creaturarum, hominis Neanderthalensis similium, anno 1886 in Belgica ad vicum *Spy* inventa sunt, siliceis instrumentis ossibusque extinctorum animalium generum circumdata. Quamquam molestum erat, magis magisque patebat deformem hominem Neanderthalensem re vera exstitisse.

Bene nunc scimus eum floruisse inter 100 milia et 40 milia annorum a.Chr.n. ; nescimus contra cur tunc extinctus sit. Recens scientia genetica demonstravit eum non esse atavum hominis moderni ; est genus distinctum. Quare de eo hic fusius non agetur, sed solum de venatoribus collectoribusque generis *Cro-Magnonensis*, qui floruerunt inter quadraginta et decem milia annorum.

Anno 1868, eodem quo homo *Cro-Magnonensis* detegitur, in Hispaniæ montibus Cantabris, non longe a Blendio (v. *Santander*), venator quidam vulpem persequitur ; eius canis, qui præcurrit, subito disparet ; cecidit in cavum rudibus lapidibus plenum. Venator, dum cani auxilium fert, removet lapides et fortuito antri aditum detegit. Antrum situm erat prope veterem

domum rusticam, c.n. Altamira, et pertinebat ad magnum prædium nobilis Hispani, Domini Marcellini de Sautuola, antiquitatum amatoris, quem nemo de antro detecto certiore fecit intra septem insequentes annos ; tot antra erant in ea regione ! Tandem monitus, Dominus Marcellinus antrum inspicere voluit atque iam in aditu legit ossa animalium extinctorum generum, bisontum, ingentium cervorum, equorum ferorum...

Dominus Marcellinus, postquam lustravit Universalem Exhibitionem Parisiensem, putavit occultum thesaurum fortasse iacere in suo antro, quod diligenter explorare cœpit. Erat re vera spelunca 275 metra longa, sed exigua atque tam humilis ut quadrupedo gradu procedendum esset. Nonnulla instrumenta lapidea effodit, sed verum thesaurum non vidit et verisimiliter nunquam vidisset, nisi anno 1879 eius filia, duodecim annos nata, eum comitata esset. Hæc gracilis puella, cum in speluncæ angustiis facilius moveretur, sursum spectavit et in tecto gregem depictorum animalium attonita conspexit. Dominus Marcellinus valde commotus agnoscere potuit 25 animalia, præsertim bisontes ardentibus pigmentis flavis, brunneis nigrisque depictos. Auctor harum picturarum non solum animalia accuratissime delineaverat, sed etiam naturalibus rupis eminentiis usus erat ad tumidas corporum partes vere reddendas. Iam non dubium erat quin homo Cro Magnonensis etiam ingeniosus artifex fuisset...

Dominus Marcellinus Matritum statim petivit ut amicum suum Iohannem Vilanova y Piera, palæontologiæ academicum professorem, de miro invento certiore faceret. Cum hic de picturarum antiquitate non dubitaret, res opusculo divulgata est anno 1880. Hoc miraculo allekti nonnulli speluncam invisere cœperunt, inter quos ipse rex Hispaniæ, Alphonsus XII.

Longe tamen aberat ut orbis doctorum acciperet hominem ætatis lapideæ ingeniosum pictorem fuisse. In conventu Olisipone anno 1880 habito, ubi Iohannes Vilanova laudibus extulerat inventum Altamiræ, periti Germani, Francogalli, Sueti, Norvegi et Angli omnes autumaverunt fieri non posse ut picturæ aspectu tam recentes plus quam 20 annos haberent. Cum Dominus Marcellinus pictorem arcessisset, qui parietinarum picturarum exempla conficeret divulganda, nonnulli insinuarunt hunc esse falsarium et verum auctorem parietinarum picturarum. Valde deceptus Dominus Marcellinus speluncam claudi iussit atque anno 1988 obiit.


Interea, in Francogallia, aliæ speluncæ cum picturis parietinis inventæ sunt in vicinia vici *Les Eyzies*, quæ vocantur *La Moutbe*, *Font-de-Gaume* et *Combarelles*. Hæ picturæ valde similes erant Altamiræ picturis ; quare viginti annis post Altamiræ inventum accuratius

inspectæ sunt. Anno 1902, postquam unus ex vehementissimis detractoribus, Æmilium Cartailhac, suum « Mea culpa » divulgavit, Altamiræ picturæ tandem agnitæ sunt ut antiquissimæ. Ab eo tempore summis laudibus extolluntur ; Altamiræ spelunca vocata est Capella Sixtina artis præhistoricæ eiusque picturæ quadraginta annos manserunt incomparabiles.

Anno 1940, in valle *Vézère*, spelunca, de *Lascaux* vocata, fere eodem modo ac Altamiræ inventa est. Cum quatuor pueri in saltu ambularent, eorum canis cecidit in cavum quod fecerat sapinus tempestate eruta. Pueri se in cavum insinuaverunt atque 7,5 metra infra steterunt in solo speluncæ, ubi, accensis virgulis flammiferis, stupentes adspexerunt multicolores equos, cervos et tauros in parietibus depictos ; Altamiræ picturæ æmulas habebant !

Maior etiam fuit stupor cum anno 1994, in Francogalliæ Montibus Centralibus ad sinum rivi *Ardescae* (v. *Ardèche*) iuxta miraculum naturale *Pont d'Arc* vocatum, Iohannes Maria Chauvet magnam speluncam artificiosissimis picturis ornatam invenisset ; nam proba radiocarbonis 14 demonstrabatur picturas ante triginta milia annorum factas esse, ætate quæ a præhistoricis vocatur Aurignacea i.e. in initio temporis hominis Cro Magnonensis ; atavi nostri tunc neque arcum neque acum perforatam iam invenerant !

Sed præhistoriæ cunabula iam præteriimus... ❀



In clarissima spelunca de Lascaux vocata est puteus naturalis, in cuius imo fundo depicta est rara scæna : homo, qui vocatus est « bellator ithyphallicus », iacet ante læsum bisontem. Anno 1954 mihi extraordinarie licuit descendere in hunc puteum naturalem, qui publico non patebat.

# DE NORMIS GENERALIBVS IVRIS PÆNALIS IN ECCLESIA (I)

– scripsit Lucas Willemarck –

## I. INTRODUCTIO

Varia cum sint iuris genera quænam iuris canonici differentia specifica sit, quonam modo sanctiones in ecclesia a iure pœnali ordinario variis in civitatibus adhibito differant, hoc opusculo scribendo exquirere conabimur.

Ius civile inter genera strictioris interpretationis numerandum est, quod, qui eiusdem civitatis sunt, arc-tiore vinculo inter se propter communem cultum civilem iunguntur, quam ut dissensiones maioris momenti oriantur. At etiam in iure civili interpretando nonnunquam normis iuris naturalis utendum est, ne singulis iniuria ex iure nimis stricte adhibito exoriat. Summum enim ius summa iniuria, quia sunt qui re vera iure abutantur, ad suum ipsorum tantum commodum agendum.

Si ad legem fundamentalem civitatis spectamus interpretatio iam latior fit, quod illa lex magis normis generalibus rei publicæ gerendæ iuncta est, quæ quidem optime ordinari non potest nisi animum ad bonum commune intendas.

Deinde quærendum est utrum in iure gentium adhibendo ratio habenda sit sententiæ tum hostium, tum fœderatorum, omnibus rebus utramque in partem perpensis, necne. Societas autem gentium cum multis ex civitatibus interdum inter se pugnantibus constet, fieri non potest quin aliæ eadem de re aliam ferant sententiam, vix ulla ipsius iuris gentium ratione habita. Ius enim gentium quippe quod propter potestatem politicam deficientem vix manu militari adhiberi possit, nemo optime interpretari potest nisi, sententiis omnium civitatum auditis, variis contrariisque bonis iure tuendis inter se collatis, utrum bonum utri anteponendum sit statuerit.

Nunc tandem de iure canonico agentes, illud etiam artiore modo multis bonis tuendis iunctum esse arbitramur. Cum autem iuris gentium instar manu militari adhiberi non possit, neque propter varietatem morum unaquaque in regione eodem modo valeat, atque insuper præsertim bona spiritualia populi Dei promoveat, nullum præter canonicum illud ius esse videtur tam multis normis varii generis extra ordinem iuridicum positivum vigentibus innixum.

## II. IVRIS CANONICI NATURA

Varia sunt sententiarum genera de iuris canonici natura quorum alia præsertim theologia innituntur, quasi ius canonicum ancilla illius esset in bonis spiritualibus promovendis, alia contra argumenta iuridica doctrinæ theologicæ anteponunt, quod ubi societas ibi ius esse censent.

A. W. BERTAMS inter alios primatum theologiæ in iure canonico interpretando adfirmat<sup>1</sup>. Multa instituta

quamvis lege ordinata intellegi non possunt nisi præ oculis habita salute animarum, quæ in ecclesia suprema semper lex esse debet secundum ultimum Codicis canonem. Etiam liber quintus codicis de bonis ecclesiæ temporalibus agens, qui unus inter ceteros natura iuridica eminet, licet recte adhiberi non possit nisi lege rite observata, fines tamen sibi proprios theologiæ ope explanandos prosequitur. Quorum præcipui sunt cultus divinus ordinandus, honesta cleri aliorumque ministrorum sustentatio procuranda, opera sacri apostolatus et caritatis præsertim erga egenos exercenda. Ius autem nativum bona temporalia independentem a civili potestate acquirendi, retinendi, administrandi et alienandi tantum valet dummodo rectores caveant ne quid bonum commune detrimenti capiat divitiis augendis auctisque, quia in primis pauperes beati habendi sunt. Quod autem præceptum ut servetur regulæ iuridicæ vix ulli utilitati sunt nisi doctrinam theologicam recte interpretatus sis.

Ille Bertrams censet ius ecclesiæ ab omni iure ordinis naturalis eo distinguendum esse, quod ius ordinis naturalis ad bona humana huius mundi spectat, ius contra ecclesiæ ad bona ordinatum esse quæ saluti supernaturali fidelium inserviunt. Quod cum ita sit, oportet eius sententia ius in ecclesia adhibitum tali fini supernaturali congruat. Quam ob rem ei videtur conceptibus iuris modo analogiæ tantum utendum esse, quod ecclesia ad ordinem divinum et supernaturalem pertineat. Bertrams censet fieri non posse quin ius canonicum semper sensu analogico tantum ut verum ius habendum sit, quod elementa supernaturalia omnibus in rebus cum naturalibus indivise misceantur.

Hæc enim iura in doctrina a Bertrams proposita ipsa sua natura supernaturalia sunt. Nihil vero nostra quidem sententia obstat quoniam ut talia habeantur, dummodo non eo sit analogia perducta ut naturæ supernaturalis causa christifideles interdum impedirentur ne iura sua re vera exercerent, quod putativa tantum essent.

B. R. SOBANSKI inter illos scriptores numerandus est quibus maximæ curæ est ut in iure canonico recte interpretando theologiæ ratio habeatur, quam qui neglexerit necessario iuris ecclesiæ proprium negavisse dicitur<sup>2</sup>. Qui ius canonicum sibi explanandum proposuerit, facere non potest quin primum ecclesia quæ sit exquirat. Iustitia, quamvis ex ipsa sua natura omnibus iuris peritis cordi sit, scriptoris sententia in canonico tamen iure recte explicari nequit nisi rationem habeas caritatis quoque.

Sobanski nobis oblivisci videtur theologiam a iure, quamvis canonicum sit, distinguendam esse quod altera ab altero natura differt. Quod cum ita sit, licet nul-

lum sit dubium quin alterum alterius indigeat, oportet tamen rectum faciamus discrimen utriusque usum specificum clare enuntiando. Theologi est mysteria fidei intellectui patefacere ac bona quærere et explicare quæ christifidelibus maximo sint emolumento in vita christiana degenda, iuris periti contra est eadem bona a theologo proposita ad effectum perducere normis positivis ferendis, quas si christifideles fideliter servaverint necesse est bona exoptata re vera consequantur. Munus theologi est doctrinam rectam bonorum effingere, iuris periti est quæ theologus invenerit optime ordinare in usum christifidelium præcepta recte agendi quærentium.

C. A. DE LA HERA multam operam dedit ut sententiam eorum, qui ecclesiam iure carere vellent, multis argumentis refelleret<sup>3</sup>. Sunt autem nonnulli qui spiritu secundi Vaticani concilii imbuti ius spernant et neglegant, quod ecclesia sola fruatur charismate ideoque legum vinculis non sit coercenda. Isti ius ipsum impugnant et contendunt amorem veluti tam clarum lumen extollentes leges cum eo non congruere et ideo ad pristinam caritatem redeundum esse. Cui sententiæ ut contradicat scriptor ipsius pontificis Pii XII verba adtulit dicens errorem eorum in hoc situm esse, quod non intellegant Christum communitatem a se institutam perfectam in sua specie societatem esse voluisse. Quod cum ita sit pontifex hanc ad conclusionem pervenit : « Cum ergo sit societas civilis, Ecclesia necesse est potestatem et officium habeat leges condendi et curandi, ut iis obtemperetur. » Rem omnem hoc syllogismo complectamur : ubi societas ibi ius ; atqui Ecclesia est societas ; ergo, ubi Ecclesia ibi ius. Differentia specifica iuris canonici verbis Pauli VI ita describitur : « Ius autem canonicum est ius societatis visibilis quidem, sed supernaturalis, quæ verbo et sacramentis ædificatur et cui propositum est homines ad æternam salutem perducere. »

Ut priores scriptores nexum theologiæ et iuris canonici artiore esse quam ut altera ab altero dignoscatur contendunt, ita hac in doctrina suum cuique societati esse ius ponitur, quod æque terminis iuridicis describi potest, licet aliud ab alio eo differat quod suum quodque finem sive salutem animarum sive pacem civilem prosequitur.

Quod cum ita sit, ius canonicum a civili prorsus distinguendum dicitur nota particulari flexibilitatis, quæ cerni potest in pondere consuetudini, normæ singulari, foro interno atque æquitati tributo.

Nobis autem non satis dilucide patet quomodo illa « flexibilitas » interpretanda sit. Scriptoris enim doctrina iuridica, cum originem tantum normarum indicaverit, quippe quas ab ecclesia latas dixerit, neque ullo modo de earum natura tractaverit, fieri non potest ut

in ipsa iuris discriptione bona inveniamus. Quæ nam bona ut « flexibilitate » bene perspecta habeamus scientia iuridica non sufficit nisi explicatione extra ordinem iuridicum aucta.

D. P. FEDELE quoque conatus est proprium iuris canonici terminis iuridicis circumscribere quærens utrum definiri possit lex ecclesiastica ex ordinatione ad bonum commune<sup>4</sup>. Thomas Aquinas in iure definiendo nullam facit distinctionem inter ius civile et canonicum si de bono communi agitur. Eius definitio est hæc : « Ordinatio rationis ad bonum commune ab eo qui curam habet communitatis promulgata » nec inter utramque legem distinguit Suarez hoc scribens : « Nulla est de hoc inter auctores controversia, sed omnium commune axioma est, de ratione et substantia legis esse, ut pro bono communi feratur, ita ut propter illud præcipue tradatur. »

Nonne in ultimo codicis canone dicitur salutem animarum in ecclesia semper supremam legem esse debere ? Quam ob rem dici potest notam peculiarem iuris ecclesiæ eo contineri quod bonum commune et bonum uniuscuiusque proprium inter se hic congruunt modo perfecto. Salus enim animarum servanda efficit ut ius canonicum hanc dupliciter complectatur, quia hæc est salus singulorum hominum, et ideo unumquemque respicit, sed totum itemque respicit, quia salus impetrari non potest nisi per communionem cum societate in Christo.

Qualiscumque solutio iusta habenda est, sive recte meritoque dici potest opposita, salute animarum mediante, in unum esse conversa, sive, arte logica immo vero iuridica obstante, idem negandum est, scriptori quidem videtur illa particulari nota iuris canonici multa, præsertim de sanctionibus in ecclesia, explanari posse.


Fedele vero censet postulatam constitutum de societatis efformatione et de integra subiecti participatione ex ordine pœnali splendide elucere, hac data ratione, pœnam pro subiecto reapse esse reductum ad vitam societatis. Contra in proximo capitulo canonibus perscrutatis hoc argumentum vix quicquam valere, siquidem rationem iuridicam recte adhibueris demonstrabimus. ❧

(continuabitur)

1. W. Bertrams : De natura iuris ecclesiæ proprii notanda, Periodica 66 (1977) 576-82.
2. R. Sobanski : De theologicis et sociologicis præmissis theoriæ iuris ecclesiæ elaborandæ, Periodica 66 (1977) 657-81.
3. A. de la Hera : Liqueat ius canonicum esse ius sacrum prorsus distinctum a iure civili, Periodica 66 (1997) 475-97.
4. P. Fedele : Utrum definiri possit lex ecclesiastica ex ordinatione ad bonum commune, Periodica 66 (1977) 549-60.

## ITER TVRCICVM (IV)

- narrat Francisca Deraedt -

*Theatrum Pergamenum.*

**D**i boni ! Utrum Pergami vixerunt homines, an rupicapræ ? Dum inter vestigia præstantissimæ urbis ambulo, miror imprimis quale remedium antiquitus habuerint contra vertiginem. Et theatrum ? Quis umquam ausus est intrare theatrum, quis valuit sedem intremulus petere, circumcirca sine nausea spectare, ad scænam oculos per integrum spectaculum demittere ? Nemo, profecto. Sed histriones ? Quantum salarium posebant ut in scænam ita periculosam et præruptam prodirent ? Hoc nescio. Unam rem scio : ad marginem theatri inter duo saxa, quæ satis firma videbantur, miserabiliter consedi, palmis umidis, genibus tremebundis, nesciens num esset huc an illuc spectandum, ne in vacuum statim caderem, atque hic Gaium exspecto satis desperata. Qui ascendit ad summum gradum, descendit in imum, scænam circumit, ordines numerat, prospectum admiratur, nec ullo modo suspicatur me interea nihil agere nisi duo saxa mea pavidis manibus amplecti.


At tamen homines hic re vera vixerunt, hic fuerunt domus, templa permulta, forum, palæstra, hic fuit palatium Eumenis II, sæculo secundo a.Chr.n. exstructum porticuque Dorica ornatum, hic aliquando stetit illa bibliotheca, quam Attalus I curavit ædificandam tantoque furore pretiosis manuscriptis implevit ut, si Straboni credimus, privatis possessoribus essent thesauri diligenter tutandi a regis cupiditate. Etenim in hac re Pergamum æmulabatur Alexandream. At cum rex Ægypti, cupidus primatus bibliothecæ Alexandrinæ servandi, vetuit exportationem papyri, Pergameni novam materiam, in qua scribi posset, confecerunt e tannatis coriis vervecinis caprinisve, atque eam vocaverunt « Pergamenam ».

Pergamum confluebant homines docti, litterati,

artifices. In schola sculpturæ creatum est genus peculiare, quo classicismus Hellenisticus orientali megalomania arte coniungebatur. Urbs florebat.

Attalo II interfecto, Pergamo præfuit Attalus III, vir debilis et sævus, qui Romæ inopinanter legavit regnum suum, eo ipso tempore quo Romani, orientem timentes longinquum opulentum mollificum, ad Catonis traditam disciplinam redire statuebant, duce Tiberio Graccho.

Nescio autem num Romani, Pergamo sic improviso potiti, urbis theatrum libenter frequentaverint, sed ego iam diu gestio ad solum tutius descendere. Infra, in planitie, adhuc lustrandum est Asclepieion, quo loco non solum inveniuntur ædificia cultui dei sanatoris dicata, sed etiam valetudinaria. Erat etiam bibliotheca, cuius adhuc conspicitur pavementum, longa porticus cuius pleræque columnæ sunt restitutæ, et theatrum nunc restauratum, in quo mense Maio incolæ urbis Bergamæ festa solent celebrare.

*Asclepieion.*

Restat ut longam viam emetiamur usque ad urbem Yalova, unde, ut nobis dictum est, Propontis est transnaviganda. Nos autem Constantinopoli exspectat autocineti locator, cui vehiculum eodem vespere est reddendum. Currimus, properamus, immo volamus, nec nimis retardati hora demum nona vespertina rædam reddimus possessori.


Denique duo dies, qui nobis supersunt in Turcia degendi, dicantur ambulationi Constantinopolitanæ. Urbs, quam ante decem fere annos ultimum lustravimus, apparet satis mutata. Ibi ubi antea erant latæ viæ, sive potius rapida autocinetorum flumina peregrinatoribus vitæ periculo transeunda, si quis vellet ecclesiam Sanctæ Sophiæ petere, nunc patent horti floridi ad



quietem invitantes. Ecclesia, humiditate valde læsa, nunc reficitur. Artifices immani anabathro ducuntur ad tholi tectum, ubi opera picta sunt renovanda.

Libenter etiam revidemus Ottomanicum palatium Topkapi, ipsius antiquæ Byzantinæ acropolis loco situm, eiusque thesauros. Recordamur nos in palatii hortis aliquando delicatum cibum Turcicum comedisse, quem assare solent veru versatili : agnina caro sic cocta minutatim conciditur atque præbetur cum oryza byturo condita, qualem soli Turci præparare sciunt. Eheu hæc sunt præterita : nam ubi ante nonnullos annos sub divo iucundissime prandimus, nunc exstructa est ingens caupona in qua innumeri lustratores celeriter farciuntur pabulo parum attractivo. Hic est effectus « popularis », quæ dicitur, « peregrinationis »...

Musea, macella, palatia, cisternæ, aquæductus, ecclesiæ, meschitæ, monumenta maxime varia, tot tantæque videnda : quam splendidum symposium Latinum Constantinopoli instituissemus, nisi paucis mensibus ante tromocratarum facinoribus essent plerique participes a proposito deterriti ! At non desperamus hoc consilium ad effectum aliquando tamen iri perductum. ❧



*Multicolor macellum.*



*Sancta Sophia, qualem ante longum tempus non iterum videbitis, cum nunc temporis præsertim ornetur tabulatis operatoriiis (photographema a Gaio Licoppe factum a. 1973).*

# DOCUMENTA QVÆDAM ACADEMICA LATINO SERMONE NVERRIME EXARATA

– quæ proposuit Theodericus Sacré –

I. Diploma dr. h.c. Bruxellensis (2003)

MARCVS VAN HOECKE, FACVLTATIS IVRIS PROFESSOR ORDINARIVS, IVRIS DOCTOR,  
RECTOR VNIVERSITATIS CATHOLICAE BRVXELLENSIS  
OMNIBVS PRAESENTES LITTERAS INSPECTVRIS SALVTEM.

CVM EXIMIVS VIR

FRANCISCVS XAVERIVS BORRELLI,

SVMMVSVS IVDICIORVM APVD MEDIOLANENSES PROCVRATOR RVDE MODO DONATVS,  
INTERPRES LEGVM SVBTILISSIMVS IDEMQVE IVRIS SCIENTIAE, CVIVS DIPLOMA  
PVBLICVM RITE EST OLIM ASSECVTVS, PERITISSIMVS, MVNERE SIBI ASSIGNATO EGRE-  
GIE AC PRAECLARE MVLTVS SIT FVNCTVS PER ANNOS ;

CVM VARIIS AC DIVERSIS ORATIONIBVS HABITIS MVNVSVS IVDICIARIVM QVANTI SIT IN  
RE PVBLICA MOMENTI QVANTOVE DISTET OPERE EA IVRIS DICENDI PROVINCIA PRIN-  
CEPS A CETERIS POTESTATIBVS CIVILIBVS, VT NVLLAM PATIATVR ADMIXTIONEM, SED  
LIBERA SIT OPORTET NVLLIQVE REI OBNOXIA, ELOQVENTER ATQVE EFFICACITER  
EXPOSVERIT;

CVM OFFICII SVI OPTIME CONSCIVS RE VERBOQVE CVRAVERIT VT NE EVANESCE-  
RENT FINES POTESTATVM EARVM PRIMARIARVM, SINE QVIBVS LIBERA RES PVBLICA  
STARE NON POTEST, ITAQVE ET ITALOS ET CETEROS EVROPAE POPVLOS SVO EXEMPLO  
INCITAVERIT FORTITER AD BONA PRAECIPVA POPVLARIVM RERVM PVBLICARVM  
TVTANDA ET PATROCINANDA, NE SOCIETATIS LIBERAE POPVLARIS FVNDDAMENTA  
CONVELLERENTVR;

CVMQVE (VT DESIDERII ERASMI ROTERODAMI, MVNDANI CIVIS, APTE AFFERENTES  
VERBA VERBO REM TOTAM ABSOLVAMVS VNO) « MAGISTRATVM SIC GESSERIT, VT EX  
IPSO DIGNITAS ILLI ACCREVERIT ATQVE HOC PVLCHRIVS DVXERIT QVAM EX MVNE-  
RIS SPLENDORE DIGNITATEM MVTVO SVMERE » ;

NOS, PRO POTESTATE NOBIS FACTA ET CONCILIO ACADEMICO ASSENTIENTE, EVN-  
DEM EXIMIVM VIRVM

FRANCISCVM XAVERIVM BORRELLI

DOCTOREM HONORIS CAUSA CREAVIMVS ET RENVNTIIVM.

CVIVS REI VT FIRMA SIT AC TESTATA FIDES, DIPLOMA HOC PVBLICVM A NOBIS SVBS-  
CRIPTVM ET VNIVERSITATIS SIGILLO CONFIRMATVM DANDVM CVRAVIMVS.  
BRVXELLAE POSTRIDIE IDVS FEBRVARIAS ANNI A PARTV VIRGINIS MMIII.

MARCVS VAN HOECKE

RECTOR

2. Lapis memorialis novæ bibliothecæ academicæ Haverlanæ in agro Lovaniensi (2002)

HOC. CELESTINORVM. ORDINIS. COENOBIVM  
QVOD. SAECVLO. XVI. CONDI. IVSSERAT  
GVLIELMVS. CROYVS. MARCHIO. ARSCHOTANVS  
EXCITAVERAT. AVTEM. MARIA. HAMALIA. VIDVA. EIVS. PIA  
TEMPORVM. INIVRIAS. DEINDE. PERPESSVM  
ITA. VT. LABEM. PAENE. DEDERIT  
STVDIORVM. VNIVERSITAS. CATHOLICA. FLANDRO-LOVANIENSIS  
CVM. RECTOREM. ITERVM. AGERET. ANDREAS. OOSTERLINCK  
VICTORIVSQVE. GOEDSEELS. RES. ACADEMICAS. GERERET  
AVCTORE. VIDONE. LANGOVCHE. ALTERO. A. RECTORE  
ARCHITECTO. RAPHAELO. MONEO  
INSTAVRANDVM. RENOVANDVM. AMPLIANDVM  
AC. CVRAVIT. CONVERTENDVM  
IN. SVPELLECTILIS. LIBRARIAE. CONDITORIVM  
SEDEMQUE. STVDIORVM. EXACTIORVM.  
QVOD. AEDIFICIVM. PRISTINVM. IN. NITOREM. RESTITVTVM  
NOVOSQVE. AD. VSVS. AFFABRE. ACCOMMODATVM  
SOLEMNITER. INAVGVRAVIT  
PATRICIVS. DEWAELE  
PVBLICORVM. ADMINISTRORVM. PRINCEPS. FLANDRICORVM  
KAL. OCT. ANNO. A. PARTV. VIRGINIS. MMII.

3. Lapis memorialis in ecclesia Lyrana positus (2003)


HONORI. MEMORIAEQVE. SEMPITERNAE  
OLAI. ENGELBERTI  
QVI. TRONDENI. APVD NORVEGIENSES. VENIT. IN. VITAM,  
NIDROSIENSEM. IN. PATRIA. REXIT. ARCHIDIOECESIM,  
ANNOS. AD. LVIII. NATVS  
MORTALITATEM. EXPLEVIT. LYRAE. FLANDRORVM  
DIE. VII. M. FEBR. A. D. MDXXXVIII

## DE BIBLIIS HEBRAICIS CONTROVERSA (I)

- scripsit Gaius Licoppe -

Diebus 23 et 24 mensis Novembris a. MMII res mira Toronti exhibebatur in Regali Museo Ontarii, occasione conventus Societatis Bibliæ Litteris Fovendæ : erat lapidea pyxis hac Aramaica inscriptione ornata : « Iacobus, Iosephi filius, Iesu frater ». Auctoritates archæologicæ confirmaverant hoc ossuarium antiquum esse et verisimiliter Iacobi Iusti ossa continuisse, qui caput fuit primæ Ecclesiæ Hierosolymitanæ. 250.000 dollariorum erogata erant ut hæc pyxis ex Israël in Canadam transportaretur et ibi ostenderetur ; videbatur enim esse inventio maximi momenti, cum demonstraret Iesum fratrem habuisse, de qua re inter se dissentiunt catholici et protestantes.

Possessor pyxididis est rerum antiquarum collector Israelius, nomine Oded Golan, qui etiam regit internationalem societatem periegeticam. Eodem tempore quidam Tzuriel tabulam lapideam VIII sæculi a.Chr.n., ubi legitur nomen regis Ioas, Museo Israelio vendere conabatur ingenti pretio 4,5 milionum dollariorum. Antiquitas huius tabulæ etiam confirmata erat ab Andrea Lemaire, Francogallo epigraphista, qui Parisiis docet in Practica Schola Altiorum Studiorum.



Ossuarium Iacobi.

Exstat in republica Israelia consilium (Angl. *Israeli Antiquities Authority*), cuius officium est impedire ne situs archæologici diripiuntur vel inventa ex Israelia exportentur. Amir Gamor, iuvenis archæologus Israelius, qui pro hoc consilio investigat, de aliquo Iacobi ossuario nihil audiverat ante eius Torontinam exhibitionem atque rem valde mirabatur ; magis etiam miratus est cum mense Februario a. MMIII inveniret illum occultum Tzuriel re vera Isaac Tzur vocari atque pro ipso Oded Golan agere. Qui interrogatus unde et pyxidem et tabulam haberet, respondit se has res iam ante multos annos emisse a quodam Arabe, cuius neque nomen recordabatur, neque sedem noverat...

Collectoris Oded Golan improbitatem suspicans,

Amir Gamor perquisitionem fecit in eius domo, Vernicolle (v. Tel Aviv) sita, ubi multas fraudis probas invenit necnon omnia falsario necessaria. Mox iudices non solum de duobus supradictis falsis cognoverunt, sed etiam de septuaginta circiter aliis quæ intra proximos viginti annos Parisiis, Neoeboraci vel Londinii vendita sunt seu privatis seu museis.

Hoc recens eventum narravi, quo demonstraretur difficultas verum a falso dinoscendi, præsertim si agitur de rebus religiosis quæ apud æquales nostros dissensiones adhuc suscitant. Idem fit de narrationibus Veteris Testamenti historiaque Hebræorum.

In Vetere Testamento narratur decimo sæculo a.Chr.n. floruisse in Palæstina magnum potensque regnum Salomonis, omnium Hebræorum regis. Inter vicesimi sæculi annum quinquagesimum et sexagesimum, clarus archæologus Israelius Ygal Yadin diligenter exquisivit omnia indicia quibus biblica narratio comprobari posset. Modernis temporum reperiendorum modis utens automavit florens Salomonis regnum decimo sæculo re vera exstitisse.

At ab annis octogesimis vicesimi sæculi accuratiores temporum investigationes thesin Ygal Yadin infirmare cœperunt, unde incohata est critica investigatio biblicæ narrationis. Huius thesisi præcipuus contradictor est Israel Finkelstein, archæologus universitatis Vernicollensis, una cum variis doctis scholæ Scandinavicæ, quæ dicitur. Plerique nunc archæologi et historici novam thesin sequuntur, sed nonnulli gloriam Salomonis regni demonstrare adhuc conantur, ut Anihai Mazar, archæologus universitatis Hebræicæ Hierosolymitanæ, qui effossiones in loco Tel Rehov facit. Is controversiam renovat in periodico « Science » mense Aprili a. 2003 edito, suas analyses ope radiocarbonis 14 factas patefaciens. Eius tamen argumenta ab Israel Finkelstein iam sunt refutata.

Mihi quidem Vetus Testamentum semper visum est magna parte mythicum, ac dolebam quod vera critica historica deerat. Quare librum ab Israel Finkelstein et Neil Asher Silberman conscriptum<sup>1</sup> avidè perlegi. Laudandi sunt hi Hebræi qui non dubitaverunt suæ ipsius religionis fontes modo critico investigare. Videamus quid invenerint.

Collectanea antiquorum textuum, quæ a christianis Vetus Testamentum nuncupari solent, nunc a doctis nuncupantur « Biblia Hebraica ». Eadem scripta sunt lingua Hebraica, præter nonnullas minores partes Aramaice scriptas ; notandum est linguam Aramaicam ab anno circiter 600 a.Chr.n. fuisse κοινήν i.e. linguam universalem in Oriente. Biblia Hebraica sunt fundamentum spirituale Iudaismi.



Rex Salomon.

Traditione Biblia Hebraica in tres principales partes dividuntur:

1. *Torah*, quæ constat e quinque Moysis libris et Græce vocatur Πεντάτευχος, unde Latine Pentateuchus. Hi quinque libri sunt Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri et Deuteronomium. His libris narratur Hebraiorum historia a creatione Mundi : diluuium, vitæ patriarcharum, exodus ex Ægypto, transitus deserti et donatio Tabularum Legis in Monte Sinai. Torah finitur cum Moyses populo Hebraiorum valedicit.

2. *Prophetæ*. Primi prophetæ sunt Iosue, Iudices, Samuel I, Samuel II, Reges I et Reges II. Hic narrantur Iordani traieccio, Canaan expugnatio, crescens prosperitas, deinde ruina regnorum Hebræorum, denique clades ab Assyriis Babylooniisque accepta et exilium in Babyloniam. Ultimorum prophetarum collecta sunt oracula, iussa socialia et vehementes admonitiones, quibus exprimitur Messiaæ expectatio a medio octavo sæculo ad finem quinti sæculi.

3. *Scripta*, quæ constant ex homeliis, carminibus, precibus, proverbii et psalmis. Pleraque horum scriptorum videntur composita esse inter quintum et secundum sæculum, tempore dominationis Persarum et postea Græcorum.

Biblia Hebraica a mythis orientalibus, v.g. Osiridis, Isis et Hori in Ægypto et herois Gilgamesh in Mesopotamia, eo differunt quod non agitur de deorum rebus gestis, sed de terrestri Hebræorum historia eorumque continuo commercio cum Deo.

Quando et a quo conscriptus est Pentateuchus ?

Iam septimo decimo sæculo eruditi dubitare cœperunt de Bibliorum veritate historica. Quomodo enim fieri potest ut Moyses sit Pentateuchi auctor, cum in Deuteronomio fuse narretur eius mors ? Præterea in Pentateucho sunt eventa quæ compluries et diversimode narrantur. Ex critica litteraria patet Pentateuchum quattuor principales fontes habuisse artificiose comixtos.

Deuteronomium videtur ortum esse ex eo occulto « libro legis », quem magnus sacerdos Hilqiyahu dicitur invenisse anno 622, Iosia regnante, in operibus Templi restaurandi.

Ad summam, Pentateuchus non a Moyse scriptum est sed est opus seræ monarchiæ, ideologiæ propagandæ causa scriptum.

Ad veram Hebræorum historiam inveniendam complures disciplinæ aliquid conferunt. De geographia antiqua solum recenter investigatum est. Textus antiquæ Ægypti et Mesopotamiæ, undevicesimo sæculo revelati, magno auxilio fuerunt ad Bibliorum chronologiam constituendam. Tantum post annum 1970 archæologi effossiones facere cœperunt sine Bibliorum respectu. Archæologia maxime valet ad veram historiam restituendam ; inventa enim vestigia falsari non possunt.

Duplex est Hebræorum historia ; duo enim regna creaverunt, quorum historia valde differens non congruit cum Bibliorum narrationibus ; regnum septentrionale vocatur Israel (quo significatur « is qui una cum Deo certat ») et meridionale Iuda.

Multi anachronismi demonstrant Patriarcharum historiam circa octavum et septimum sæculum elucubratam esse. In hac historia, exempli gratia, sæpe agitur de camelis ; sed archæologia demonstratur dromades non ante finem secundi millennii cicuratos esse atque solum post annum millesimum adhibitos esse ad onera transportanda (circa septimum sæculum a.Chr.n.). Alibi legitur Isaac regem Philistæorum, Abimelek, convenisse ; Philistini vero ex mari Ægei vel Asia Minore non ante annum 1200 in litus Chanaan migraverunt ; eorum oppida undecimo et decimo sæculo florere cœperunt. Patriarchæ dicuntur in spelunca Makpela sepulti esse ; hæc autem spelunca in oppido Hebron sita est, quæ nunc est in Arabum ditione ; mahumetani vero vetant ne spelunca, quam suam esse autumant, exploretur.

Exodus, estne vera ?

Hebræorum familia crevit atque, ut legitur in Bibliis, tempore Exodi facta est gens. De ea quid certum ? Archæologia et antiqui vicinarum nationum textus confirmant gentes ex Chanaan in partem orien-

talem Nili Deltæ sæpe migravisse ; nam Ægyptus erat refugium, quod petebant vagi Semitæ, cum sæviebat siccitas, fames vel bellum.

Antiquitus Nilo erant ad minimum septem brachia, quorum duo tantum hodie supersunt. Quamquam extremum brachium ad orientem versus hodie iam non exstat, archæologi non solum id reppererunt, sed etiam multas fossas quibus hæc palustris regio, ubi nunc est euripus Suesiensis, irrigabatur ; nam fertilis erat et frequens.

Sacerdos Ægyptius Manethon, cum tertio sæculo a.Chr.n. Hyksorum invasionem in Ægyptum narrat, dicit eos oppidum in Delta occupavisse, cui nomen Avaris. Hyksus est forma hellenizata vocabuli Ægyptiaci, quo significatur « rex extraneus ». Qui sunt isti Hyksi ? Eorum inscriptiones et sigilla monstrant eos fuisse Semitas ex Chanaan oriundos. Non tamen fuit subita invasio, sed lenta immigratio. Effossiones in loco Tell ed-Daba factæ, quod fuisse videtur oppidum Avaris, ostendunt stirpem Semiticam ab anno 1800 se gradatim substituisse indigenis. Post sesquisæculum, circa annum 1650, cum regnat quinta decima dynastia Ægyptiaca, ibi floret magna prosperaque civitas maximam partem Semitica.

In documento Ægyptiaco sexti decimi sæculi narrantur res gestæ pharaonis duodevicesimæ dynastiæ, Ahmosis nomine, qui inter alia Avarim vastavit, Hyksos fugavit eosque usque in Chanaan persecutus est. Archæologia confirmatur Tell ed-Daba sexto decimo sæculo derelictum esse. Tunc tamen Hebræorum nomen in documentis nondum invenitur ; primum apparet tertio decimo sæculo, nec in Ægypto, sed in Chanaan.

Nihil attestatur narrationem Exodi, quæ tertio decimo sæculo facta esse traditur. Nam post Hyksos expulso Ægyptii curaverunt ut nemo ex Chanaan in Ægyptum irrumpere posset ; limes multis castris custodiebatur. In papyro tertii decimi sæculi exeuntis, ubi legitur quam diligenter custoditus sit hic limes, inveniuntur duorum locorum nomina, quæ etiam in Bibliis apparent : Sukkot et Pitom ; hæc loca pertinent ad Novum Imperium Ægyptiacum, i.e. tempore quo Exodus fieri omnino non poterat.

Post fugam ex Ægypto Hebræi dicuntur in solitudinibus et montibus Pæninsulæ Sinaiticæ per quadraginta annos vagati esse. Infeliciter nullum vestigium archæologicum huius peregrinationis inveniri potuit, quamquam investigationes diligentissime factæ sunt.

Ad summam, Exodus non evenit eo tempore nec eo modo, quo in Bibliis narratur. Loca, de quibus mentio in narratione facta est, re vera exstiterunt, sed occupata

sunt sive ante sive post tempus quo Exodus evenisse traditur. Exodi narratio sero conscripta est ; est fabula memoriis contexta, ubi conflictatio Moysis cum Pharaone præsigit imminens fataleque proelium, quo rex Iosias exeunte septimo sæculo apud oppidum Megiddo devictus necatusque est a Pharaone Nekao II. ❧

(continuabitur)

---

1. I. Finkelstein, N.A. Silberman, *La Bible dévoilée. Les nouvelles révélations de l'archéologie*, Paris, Bayard, 2002. Editio originalis : *The Bible Unearthed*, New York, The Free Press, 2001.

## DE NOVIS LIBRIS

– a Melissa et Museo Erasmi modo modo in lucem editis –

P. SÜSKIND, *Fragrantia. Historia homicidæ. Fabula romanica* a. 1985 Theodisce scripta sub titulo, q. e. « Das Parfum. Die Geschichte eines Mörders » a Nicolao GROSS in Latinum conversa, Bruxellis, Fundatio Melissa & Musée de la Maison d'Érasme, 2004, 295 pp.

ISBN (Fundatio Melissa) 2-87290-019-5 (Musée de la maison d'Érasme) 2-930414-01-4

*Hæc fabula, anno 1985 conscripta sub titulo « Das Parfum. Die Geschichte eines Mörders », a criticis totius orbis terrarum est eximie laudata. Translator Latinus egregie reddidit stili splendorem subtilitatemque, descriptionum leporem, historiæ expectationem. Tali narratione lectori mirabiliter aperitur non solum extraordinarius mundus odorum, sed etiam Francogallia sæculi duodevicesimi, miseria, horror et scelus.*

*Hic tamquam exemplum subiungitur operis primum capitulum.*



Sæculo octavo decimo in Francogallia vixit unus ex hominibus ingeniosissimis et atrocissimis illius ætatis ingeniosorum atrociumque minime egenæ. Huius viri historia hic narretur. Qui appellatus erat Iohannes Baptista Grenulius ; nomen eius contra ac nomina aliorum monstrorum ingeniosorum, qualia fuerunt de Sade, Saint-Just, Fouché, Bonaparte eqs., hodie in oblivione iacet, at certe causa non in eo est, quod

Grenulius ab illis tenebrionibus famosioribus arrogantia, contemptu hominum, turpitudine, uno verbo, impietate, superatus sit, sed quod ingenium eiusdem studiumque unicum conclusa erant in regionem, cuius in historia non relinquuntur vestigia : in regnum volatile odorum.

Tempore, de quo hic loquimur, in urbibus dominabatur foetor, qualem nos homines moderni vix possumus animo fingere. Foetebant viæ fimum, foetebant aulæ posticæ urinam, foetebant scalaria lignum putridum et merdas rattorum, coquinæ brassicam corruptam et adipem vervecinum ; conclavia aere parum perflata pulverem putidum, cubicula linteos pannos pingues et plumeas culcitas umidas et matellarum fragrantiam acido-suavem. E caminis foetebat sulphur, ex officinis coriariis foetebant lixivium causticum, e laniatoriis foetebat sanguis coagulatus. Homines autem foetebant sudorem et vestes illotas ; ex ore foetebant dentes cariosos, e stomachis sucum ceparum et ad corpora, si non iam fuerunt iuvenes, caseum veterem et lac acidum et tumores. Foetebant flumina, foetebant plateæ, foetebant ecclesiæ, foetores erant sub pontibus et in palatiis. Foetebat tam agricola quam sacerdos, tam socius fabri quam uxor, foetebant omnes nobiles, ipse rex foetebat, tamquam bestia rapax foetebat, et regina tamquam capra vetula, tam æstate quam hieme. Nam sæculo octavo decimo cum bacteriorum vis cariiosa adhuc nullo modo terminaretur, nulla erat actio humana, neque constructiva neque destructiva, nulla significatio animantis germinantis aut dilabentis, quin comitaretur foetore.

Scilicet foetorem maximum fuisse Parisiis, nam Parisii fuerunt urbs Francogalliæ maxima. Intra Parisios autem fuit locus, ubi foetor perquam infernaliter dominabatur, inter Viam Ferrorum et Viam Ferrariæ situs, Cœmeterium Innocentium. Eodem enim per octingentos annos allati erant mortui Hospitalis Dei parœciarumque circumiectarum, per octingentos annos diem de die cadavera carris eodem avecta in foveas longas infusa erant, per octingentos annos in conditoriis et ossariis ossicula unum in aliud structa erant. Postea demum, brevi ante Revolutionem Francogallicam, cum nonnullæ fossæ cadaverales periculose corruiissent et foetore cœmeterii redundantis effectum esset, ut accolæ non solum lamentarentur, sed etiam concitarent germanas seditiones, cœmeterio tandem concluso et eruto miliones ossium et calvariarum vatillis ingesti sunt in catacumbas Montis Martyrum ; cœmeterii autem loco stratum est forum victualium.

Ibidem, loco totius regni foetentissimo, d. 17. m. Iul. a. 1738 natus est Iohannes Baptista Grenulius. Dies

fuit unus ex anni æstuosissimis. Sole circa cœmeterium gravissime æstuante in angiportus propinquos impressi sunt nidores cadaverini, qui olebant melones putridos et cornu combustum. Doloribus parturiendi incipientibus mater Grenulii ad tabernulam piscariam iuxta Viam Ferrorum constituta desquamabat alburnos antea exenteratos. Hi pisces, qui dicti erant mane demum e Sequana hamati esse, iam fœtebant tam vehementer, ut odor eorum prævaleret odori cadaverino. Sed mater Grenulii neque sensit odorem piscium neque cadaverum, nam cum eius nasus esset eximie hebetatus, tum dolebat et dolore corporis inhibita erat, ne quos perciperet pulsus externos. Nihil optabat nisi ut quam maturime finirentur dolores et partus tædiosus. Qui ei erat quintus. Antea semper pepererat infantes mortuos aut semimortuos, nam caro sanguinolenta ibi edita non multum distulerat a mesenterii piscinis ibi iam positis neque multo fuerat animatior, et vespere vatillis omnia in unum congesta carroque ad cœmeterium aut deorsum ad flumen vecta sunt. Mater Grenulii autem talia etiam eo die exspectans, mulier adhuc iuvenis, viginti quinque fere annos nata, adhuc satis bella, adhuc omnibus dentibus, adhuc capillis nonnullis instructa, præter podagram et syphilidem levemque tabem nullo morbo graviore affecta; adhuc sperans se vivere posse per longum tempus, fortasse per quinque vel decem annos, et fortasse aliquando nupturam et uxorem fabri vidui aut similis viri honorabilem germanos infantes parituram esse... mater Grenulii optabat, ut omnia iam essent finita. Cum autem partus premeret, mulier nate incoxavit sub mensam laniariam ibique peperit, sicuti antea iam quater fecerat, et cultro piscario dissecuit nervum umbilicarem entis modo nati. Tum eadem per æstum et fœtoem – quem percipiebat vexantem et sopientem tamquam lilietum aut conclave angustum narcissorum plenissimum – animo relicta seorsim mediam in viam cecidit ibique cultrum manu retinens mansit prostrata.

Inde clamores, concursatio, arcessiti sunt astyphylaces. Mulier adhuc cultro manui imposito in via iacens lente resipiscit.

Quid ei factum esset ?

« Nihil. »

Quid cultro faceret ?

« Nihil. »

Unde veniret sanguis gunnis eius illitus ?

« E piscibus. »

Ea surgit, cultrum abicit, abit se lautum.

Tum contra opinionem partus sub mensa laniaria incipit clamare. Quæritur, sub examine muscarum, inter mesenteria et capita piscium decisa invenitur et

extrahitur infans neonatus. Ex officio idem traditur nutrici, mater comprehenditur. Cum autem mulier sine mora confiteatur se illum fetum certe non curaturam fuisse, dum creparet, neque se ceteros quattuor curavisse, causa dicta nonnullis septimanis post in Platea Riparia mulieri infanticidii multiplicis damnatæ caput est abscisum.

Usque ad id temporis nutrix iam ter erat mutata. Nulla voluit eundem curare diutius nonnullis diebus. Dicebant infantem esse nimis avidum, eundem tanti sugere quanti duos alios, aliis pueris lactantibus lac ideoque sibi, nutricibus, quæstum auferre, quia lactatio quæstuosa esse non posset, si unus tantum lactaretur. La Fosse autem, officarius quidam astynomicus, huius rei ad officium suum pertinentis mox pertæsus voluit curare infantem ferendum ad receptaculum infantium orbatorum atque expositorum in Via Sancti Antonii exteriori situm, unde cottidie infantes transportabantur in magnum orphanotropheum publicum Rotomagense. Hi infantes, quia a phalangariis transportabantur cophinis e libro textis, quibus parsimonie causa maximum deni lactantes simul infarciebantur; quia ideo portio in itinere morientium perquam magna erat; quia ea de causa phalangarii iussi erant non transportare lactantes nisi baptizatos et testimonio transportandi officiali instructos, cui Rotomagi sigillum imprimendum esset; quia Grenulius infans neque baptizatus erat neque eidem adhuc nomen erat impositum, quod ex officio poterat inscribi testimonio transportandi; quia præterea astynomicos dedecuit ad portas receptaculi infantem ἀνωρύμως exponere, quo facto cetera negotia officialia non iam fuissent agenda... quia ergo complura negotia grapheocratica atque administrativa videbantur necessaria esse ad infantem deportandum et properato opus erat, La Fosse officarius astynomicus a proposito suo destitit præceptumque dedit, ut apocha recepta puer traderetur aliquibus officialibus ecclesiasticis, ut iidem eum curarent baptizandum et decernerent, quid de eodem fieret. In monasterio Sancti Mederici iuxta Viam Sancti Martini sito astynomici defuncti sunt eius cura molesta. Baptizatus est Iohannes Baptista appellatus. Cum autem eo tempore abbas hilaris esset et ærarium eleemosynarum nondum esset exhaustum, infans non est Rotomagum deportatus, sed sumptibus monasterii pappare situs est. Quem ad finem infans iuxta Viam Sancti Dionysii traditus est nutrici, cui nomen fuit Iohanna Bussia et quæ pro laboribus suis interim accepit trinos Francos in septimana... ❧



N. GROSS, *Glossarium Fragrantiae. Lexicon Latinorum nominum vocabulorumque rariorum recentiorumve, quæ inveniuntur in fabula Fragrantiae a Nicolao Gross in sermonem Latinum conversa, Bruxellis, Fundatio Melissa & Musée de la Maison d'Érasme, 2004, 504 pp.*  
ISBN (Fundatio Melissa) 2-87290-020-9 (Musée de la maison d'Érasme) 2-930414-00-6

*Hoc glossarium, verbis raris difficilioribusve dicatum, quæ in Süskindiana Fragrantia possunt occurrere, auctorem suum multo longius traxit quam initio putaverat. Nam se verbis capi sivit, hic illic opportune addens explanationes sive historicas, sive geographicas, sive litterarias, sive biologicas, sive medicas, sive zoologicas, sive culinarias, atque lectorem sic ducit, ab « Abracadabra » ad ζῶον πολέμιον, in horto verborum coloribus ditissimo. Cuius vobis hic offerimus primos flores.*



**A**bracadabra ¶ orig. *Hokuspokus* (cap.3). A magia incipiamus. Nam omne opus contineat oportet aliquid obscurum, ne lectores auctorem nimis simplicitatis accusent. Memini Professorem Christianum Opiferum (*Helper*) Saravipontanum de Latinitate viva optime meritum duobus fere decenniis ante, cum in sede operarum neolatinitatis munere fungerer cooperatoris, mihi commendasse, ut acroases facerem sat claras

et perspicuas, tamen ut aliquo loco acroasi interponerem quoddam « mysterium tremendum », quod plurimi quidem auditores non intellexerent ; quo fieri, ut studia mea satis grato animo æstimarent. Ecce Christiani Opiferi Minervam academicam.

Profecto homines quamvis a philosophis illuminismi et modernæ ætatis industrialis iterum iterumque admoniti sint, ut confiderent rationi, inhiare solent rebus arcanis atque mysterialibus. Abracadabra est magica formula optime nota, similis ac « simsalabim » et « hokuspokus ». Ceterum in Coreana pæninsula, ubi interpret Fragrantiae Latinus e decem annis vitam degit, magistri magici solent dicere : *suri suri masuri*. Cuius formulæ Coreanicæ origo est obscura ; sed etymon verbi « abracadabra » non multo clarius est ; fortasse est originis Thracicæ et originaliter valuit « spumam et cinerem » aut « nebulam et fumum ».

« Hokuspokus », verbum ab ipso auctore adhibitum, primum invenitur in litteris sæculo septimo decimo in Anglia conscriptis : ibi « hocospocos » significabat planum, circulatorum, præstigiatorum. Fortasse hoc verbum exortum est formula missali mutata, quæ est « Hoc est enim corpus meum » (Kl.24, p.418, s.v. Hokuspokus).

Vox autem, q.e. « abracadabra », primum invenitur in Libro medicinali, quem scripsit Quintus Serenus vel Sammonicus sæculo tertio p.Chr.n. Legamus versus, quibus Serenus describit rationem, qua amuletum fiat ad morbum hemitritæum depellendum (hemitritæus valet dimidiam febrim tertianam). Utimur autem editione Latino-Francogallica, quam A.1950 confecit R. Pépin. In capitulo 51 hi versus leguntur :

LI. HEMITRITÆO DEPELLENDO (versu a 932 usque ad 946)  
*mortiferum magis est quod Græcis hemitritæos/ vulgatur verbis ; hoc nostra dicere lingua/ non potuere ulli, puto, nec voluere parentes./ inscribes chartæ quod dicitur abracadabra/ sæpius et subter repetes, sed detrahe summam/ et magis atque magis desint elementa figuris/ singula, quæ semper rapies, et cetera +figes+./ donec in angustum redigatur littera conum :/ bis lino nexis collum redimere memento./ nonnulli memorant adipem prodesse leonis./ coraliū vero si collo nectere velis/ nec dubites illi veros miscere smaragdos./ adsit baca teres niveo pretiosa colore :/ talia languentis conduces vincula collo/ letalesque abiget miranda potentia morbos./*

Pro forma +figes+ crucibus interposita commentator *finges* aut *pinges* commendat ponenda. Qualis figura litterarum a Sereno describitur ? In editione Pepiniana proponuntur tria schemata possibilis :

I	II	III
ABRACADABRA	ABRACADABRA	ABRACADABRA
ABRACADABR	ABRACADABR	BRACADABR
ABRACADAB	ABRACADAB	RACADAB
ABRACADA	ABRACADA	ACADA
ABRACAD	ABRACAD	CAD
ABRACA	ABRACA	A
ABRAC	ABRAC	
ABRA	ABRA	
ABR	ABR	
AB	AB	
A	A	

Nuper formula magica primo loco glossarii nostri tractata ipsi Iacobo (*Jacques*) *Chirac*, Francogallorum præsidenti gravissimo a nonnullis diurnariis supernomine Imperatoris Europæi ornato, ansam præbuit ad accusationes repellendas : idem præsidentis, cum sibi obiectum esset se pecunia publica abusum esse ratione illicita, easdem suspiciones esse dixit « *abracadabrantiques* ». Quo adiectivo mysticali audito adversarii antea in Iacobum inveci tam vehementer stupuerunt, ut obliviscerentur opprobria sua. Quod verbum in aures Iacobi insusurratum erat a Dominico *de Villepin*, administro rerum externarum doctissimo et poesi deditissimo. Invenitur autem in quodam carmine Arthuri *Rimbaud*, quod inscribitur « Cor surreptum » (Romain Leick, Spiegel online, 2003-06-23).

abyssus, -ī f. ¶ orig. *Tiefe* (cap.20). Ducitur a verbo Græco, q.e. ἄβυσσος. Valet generaliter prærupta, barathrum, specialiter gehennam ; universum immensum ; profunditatem immensam.

accessiō morbōsa ¶ orig. *Anfall* (cap.9). Si qui homo subito in morbum incidit, dicitur affici accessione, velut hysterica aut claustrophobica.

accipiter, -tris m. ¶ orig. *Habicht* (cap.27). Accipiter est magna avis rapax. Quæ Anglice dicitur *goshawk*, Francogallice *autour*. Nomen Anglicum ducitur a nomine anserum (*goose*), quos accipiter venatur (meso-Anglice *goshawk*, palæo-Anglice *goshafoc* : *gos*, *goose*, i.e. anser). Francogalli accipitris nomen accepisse videntur a Romanis : forma enim originalis, quæ est astur, -uris m., spectat ad genus quoddam accipitrum, invenitur apud FIRM.5,7.

Nomen autem Latinum videtur derivatum esse a forma \*acupeter = Gr. ὠκυπέτης i.q. velociter volans. Postea per etymon popularem assimilatum est ad verbum accipiendi. CIC.nat.deor.3,47 *accipitres in deorum numerum reponemus*. VERG.Æn. II,721 *quam facile accipiter... consequi-*

*tur... in nube columbam*. SEN.epist. 121,19 *quid est, quare... gallina fugiat... accipitrem ?*

Accipiter est avis rapax robusta, corpus eiusdem est longitudine 55 centimetrorum, alæ dispansæ unius metri et decem centimetrorum. Femina mare est multo maior et robustior, duodecim vel 15 centimetris longior, quindecim vel duodeviginti centimetris latior. Corpus superius colore est nigello-griseo-fusco, inferius colore albo, omnis penna lineis fusco-nigris et undulatis est ornata.

Multa narrantur ab Alfredo Edmundo *Brehm*, zoologo Germano sæculi undevicesimi omnium illustrissimo, de accipitris mirabili velocitate volandi, immani voracitate et cupiditate necandi, immo de nefandis istius Macellini aligeri facinoribus parricidalibus : accipitres venari omnia animalia volatilia et mammalia, quæcumque possint occidere. Ingenti terrore corripit bestias, si eundem videant ; quas non iam aufugere, sed rigentes considerare. Si duo accipitres sint cavea inclusi, robustiorem semper devorare infirmiore, sive sit uxor sive maritus, sive filius sive filia sive pater sive mater. Væ accipitri pessimo parricidæ !

\*acētārius, -ī m. ¶ orig. *Essigmischer*. i.q. *concoctor aceti* (cap.12). Cfr Plin.nat.19,58 : acetaria n.pl. (sunt cibi aceto oleoque confecti).

acētōsus, -a, -um ¶ orig. *essigsauer* (cap.26). i.q. aceti plenum, acetum sapiens, olens. GLOSS.III 256,19 τὰ ὀξύκρια fabæ acetosæ. SCHOL.Pers.6,17 *vapida dicit acetosa*.

acētum, -ī n. ¶ orig. *Essig* (cap.II sq.). CATO agr.104 *si quid superfuerit post solstitium, acetum acerrimum et pulcherrimum erit*. COLUM.12, 5,1 *quemadmodum ex vino vapido acetum fiat*. MACR.sat.7,6,12 *acetum culpatum vinum est*.

Acetum est liquor acidus, qui fabricatur ex solutione alcoholica diluta labore bacteriorum oxydativo in acidum aceticum conversa. Solutiones alcoholicæ plerumque oriuntur ex fructibus, velut uvis vel malis tractatis.

In officina acetaria primo saccharum vel materiæ saccharosæ hydrolysi amyli comparatæ in alcohol mutantur ope fungulorum fermentalium, quibus nomen est Saccharomyces (G.sg. -mycētis). Deinde bacteria acidi aceticæ adhibentur, ut alcohol mutetur in acidum aceticum. Quæ bacteria egent oxygenio. Bacteria fabricant enzima, quibus alcohol oxydatur. Reactio chemica his formulis describitur, quæ sequuntur :  $\text{CH}_3\text{CH}_2\text{OH} + \text{O}_2 + \text{enzyma bacterialia} = \text{CH}_3\text{COOH}$ . ❧



# In hoc fasciculo !

- De præhistoriæ cunabulis* [G. Licoppe] p. 1  
*De normis generalibus iuris pœnalis in ecclesia* [L. Willemarck] p. 4  
*Iter Turcicum (IV)* [F. Deraedt] p. 6  
*Documenta quædam academica* [Th. Sacré] p. 8  
*De Bibliis Hebraicis controversia (I)* [G. Licoppe] p. 10  
*Bibliotheca Latina* p. 13



## LATINE LOQVI...

### SYMPOSIUM LATINVM

instituet Fundatio Melissa

d. 18-25 m. Iulii a. 2004

in oppido Rocamadour loco amœnissimo in  
Francogallia

Hoc symposio, quod volumus esse iucundum sodalium concilium, participibus dabitur occasio de variis argumentis disputandi, quæ Latinistis cordi esse solent. Eis autem, quibus loquela Latina nondum est consueta, exercitationes Latine loquendi proponentur.

#### Pretium

- inscriptionis :
  - adultis : 50 EUR.
  - discipulis et studentibus : 25 EUR.
- pernoctationis :
  - cum ientaculo et cena (prandium tum est liberum) :
    - in conclavi unius lecti : 35 EUR.
    - in conclavi duorum lectorum : 31,50 EUR.
  - cum ientaculo, prandio et cena :
    - in conclavi unius lecti : 47 EUR.
    - in conclavi duorum lectorum : 43,50 EUR.

*Conclavia sunt privatis commoditatibus instructa.  
Accessus facilis et autocineto et tramine ferriviario.*

Qui participare cupiunt sine mora certiozem faciant

Gaium Licoppe  
avenue de Tervueren, 36  
B-1040 Bruxelles  
tel. +32 475 47 55 18  
telecop. +32 2 735 51 32  
g.licoppe@skynet.be  
<http://users.skynet.be/Melissalatina>

### CONVENTICVLVM LEXINTONIANVM

Lexintoniæ in America, a mensis Augusti die 2 usque ad 11. ¶ Prof. Terentius Tunberg : [clatot@pop.uky.edu](mailto:clatot@pop.uky.edu)

### CONVENTICVLVM RVSTICVM

A mensis Iunii die 19 usque ad 27 fiet in Vasintonia civitate. ¶ <http://ttt.boreoccidentales.org/deconventiculis.php>

### FERIÆ LATINÆ

In abbatia Sancti Michælis Ferigoletensis, a die 28 m. Iulii ad diem 4 m. Augusti. ¶ Iohannes Claudius Champeau, 121, chemin des Moulins supérieur, F-06510 Gattières

### FERIÆ LATINÆ TINIENSES

In Carinthia, a die 26 ad diem 30 m. Iulii ¶ Katholisches Bildungshaus Sodalitas, A-9121 Tainach/Tinje 119

### SEMINARIVM HISPANICVM

Seminarium Segoviense, quod habendum erat a die 23 m. Iulii in diem 1 m. Augusti, in proximum annum dilatatum est.

### SEMINARIVM L.V.P.A.e

Singiduni in Serbia a die 6 in diem 16 m. Augusti ¶ Inga Pessarra, Nordstrasse, 39, D-59174 Kamen ([ipg@surfeu.de](mailto:ipg@surfeu.de))

### SEMINARIA SOCIETATIS LATINÆ

¶ Morsaci in Helvetia : 25-31 m. Iulii. ¶ in Belgica in abbatia Maretiolensi : 8-14 m. Augusti. ¶ Societas Latina, Universität, FR 5,2, D-66041 Saarbrücken ([s.albert@mx.uni-saarland.de](mailto:s.albert@mx.uni-saarland.de))

### SEPTIMANA AMENEBVRGENSIS

« Latine loqui - Romane coquere » - a die 1 ad diem 7 m. Augusti. ¶ Thomas Gölzhäuser, Westerwaldstrasse, 13a, D-35630 Ehringshausen ([goelzhaeuserpost@hotmail.com](mailto:goelzhaeuserpost@hotmail.com))